

decursus temporum diligentissime annotatis. Sed nova delineatione, nova pictura egebat Tabula, cui eodem, quo antea ordine inscriberentur, quales tunc erant viae rationes; ita quidem, ut denuo spatium superesset indicandis immutationibus, quae tempora futura redderent necessaria. Factas esse ejusmodi recensiones, unde et in privatorum usum novae Itinerarii editiones vulgarentur, id certum; longe enim alius aspectus Tabulae tertio saeculo ac Augusti aevo. Quo tempore autem, a quibus imperatoribus, tenebris involvitur, nec ejus facti indicium in vulgus emanare potuit, quum omnia in interiore palatio peragerentur.

-Haec asserentem monet Lector, non recensionis modo novae, sed et novae ab Imp. Theodosio institutae Orbis dimensionis testimonium adesse indubitatum. A multis, inter eos et a Scheybio haec cum sit recepta opinio, ea fiducia, ut et autographon, quo fruimur, *Theodosianam Tabulam* appellarent, rei penitus pertractandae necessitatem imponunt Tabulae editori. — Scriptor fuit miserimus noni saeculi, cui nomen *Ducuil*; is suo libello: *Mensura provinciarum orbis terrae* inscripto duodecim inseruit versus, a Welsero jam exscriptos. Post vero per varios casus codice in Regiam Parisiensem bibliothecam perlato, Doctiss. Schöpflin, pro sua in litteras voluntate inde summa fide excerptam horum versuum transcriptionem misit Scheybio petenti. In illis omnis cardo rei quum vertatur, Scheybii lectionem secutus versus propono:

*Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Aequora, quo montes, fluvii, portus, freta et urbes
Signantur, cunctis ut sit cognoscere promptum
Quidquid ubique lateret. Clemens genus, inclita proles,
Ac per saecula pius, totus quem vix capit orbis,
Theodosius Princeps venerando jussit ab ore
Confici, ter quinis apperit dum fascibus (fastibus?) annum,
Supplices hoc famuli, dum scribit pingit et alter
Mensibus exiguis, veterum monumenta secuti,
In melius reparamus opus, culpamque priorem
Tullimus, ac totum breviter comprehendimus orbem,
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia princeps.*

Hosce versus non esse illius Ducuilii e quo desumuntur, sed scribae Imp. Theodosii, inter omnes constat. Eo major controversia, cum deprehenderis, Scheybium inde et cum eo permultos alios praecipites se dare in opinionem: Theodosium quindecimo imperii anno omnem Orbem Romanum de novo mensuratum Tabulis pictis complecti jussisse, ejusque incepti fructus ipsissimam Tabulam esse quam terimus manibus. Huic tamen asserto renuit nomen Imperatoris, obstat status reipublicae qualis tunc temporis erat, repugnat aspectus nostrae Tabulae, contradicunt ipsi scriptoris versus; omnia consurgunt contra illam sententiam.